



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Art. II. An subsistentia in personis divinis realiter multiplicetur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

pleant naturam, complemento orto ex summa fecunditate, ratione cuius petit existere in tribus personis, non tamen complemento orto ex indigentia, ut exercitè existat, quia cum hoc non staret summa perfectio absoluta essentia: sicut nec summa perfectio divinæ intellectiois subsisteret, si verbum esset complementum eius ex indigentia, & ex infinita divini intellectus fecunditate non procederet.

32 Intabis: Divina essentia non potest existere sine relationibus: Ergo subsistentia relativa sunt complement ex indigentia natura ad existendum.

Sed nego Consequentiam, & insto, tum in possibilitate creaturarum, sine qua omnipotentia subsistere nequit, tum in divina intellectuione quæ sine verbo non potest existere, & tamen nec creaturarum possibilitas requiritur ex indigentia, sed ex fecunditate omnipotentia, nec verbi productio ex indigentia, sed ex fecunditate intellectuionis.

Objicies ultimò: Si natura divina ratione sui esset subsistens, Deitas non posset intelligi in abstracto, quòd enim affert essentialiter subsistentiam, non potest intelligi, nisi ut id quod est, & consequenter nisi in concreto.

Respondeo distinguendo Majorem: non posset intelligi in abstracto, si conciperetur ut est in se, concedo Majorem: si concipiatur imperfectè & per analogiam ad res creatas, qualiter à nobis concipitur, nego Majorem. Nos enim assueti rebus materialibus & creatis, concipimus naturam divinam inadaquatè, non concipiendo illam ut est subsistens, & idè illam in abstracto, & per modum formæ constituentis concipimus.

ARTICVLVS II.

An subsistentia in personis divinis realiter multiplicetur.

34 Hanc questionem sub aliis terminis aliqui proponunt, inquirentes an præter subsistentiam absolutam, quæ divinæ essentia secundum se considerata convenire ostendimus, dentur in personis divinis tres subsistentia relativa, realiter inter se distincta, & virtualiter à subsistentia absoluta essentia?

Partem negativam tenet Durandus in 1. dist. 13. quæst. 2. existimans tres personas divinas totam rationem subsistendi desumere à subsistentia absoluta essentia in illis inclusa, incommunicabilitatem verò præstari à relationibus, & consequenter tres subsistentias relativas, ad constituendas divinas personas, esse omnino superfluas. In eandem sententiam videntur inclinare Capriolus in 1. dist. 26. quæst. 1. articul. 1. concl. 3. & Ferraricensis 4. contra Gentes cap. 26. eique favent Nazarius & Asturicensis, locis infra allegandis.

Alii tamen Thomista partem affirmativam defendunt, & præter subsistentiam absolutam & communem, quam in Deo, ut præintellecto relationibus & personis, agnoscunt, tres alias relativas & incommunicabiles in divinis personis admittunt.

§. I.

Statuitur prima conclusio.

Dico primò: Subsistentia pro perfectitate independentia sumpta, non multiplicatur in personis divinis.

Probatur primò conclusio: Unica essentia essentia sufficit, ut existant relationes divinae, ut disputatione præcedenti ostensum est: Ergo una essentia essentia perfectitas, sufficit ut illæ existant, & consequenter non multiplicabitur in illis realiter subsistentia accepta pro humilitate perfectitate. Consequentia patet: nam idè sufficit unica essentia essentia, quia infinita est in ratione existentia: At etiam subsistentia essentia infinita est in ratione excludentis dependentiam à sustentante: Ergo etiam unica perfectitas independentia sufficit ut divina natura & personæ existant.

Probatur secundò: Absoluta non multiplicatur in divinis: Sed subsistentia, pro perfectitate independentia sumpta, est quid absolutum. Ergo in personis divinis non multiplicatur. Maior patet: nam omnia in Deo sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Minor verò probatur: Illud est absolutum, quod convenit Deo pro propria ad relationes & personas, ut per se manifestum est: Sed subsistentia, pro perfectitate independentia accepta, convenit Deo ut præintellecto relationibus & personis, sicut articulo præcedenti ostendimus: Ergo est quid absolutum & commune tribus personis.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio. Quæ conveniunt personis ratione essentia, non verò ratione relationum, non multiplicantur realiter: Sed subsistentia, ut dicit perfectitate independentia ab alio sustentante, convenit personis divinis ratione essentia, & non ratione relationum: Ergo in illis realiter non multiplicatur. Maior est certa, & patebit ex dicendis disp. sequenti: Minor verò, in qua est difficultas, probatur primò ex D. Thoma, qu. 9. de potentia art. 5. ad 13. ubi ait, quòd proprietatis personales habent quòd subsistent ab essentia: Sed hoc non potest intelligi de subsistentia pro perfectitate incommunicabilitatis accepta, illa enim, ut ostendemus conclusionem sequenti, convenit personis divinis ratione relationum: Ergo debet verificari de subsistentia accepta pro perfectitate existendi opposita dependentia.

Secundò suadetur eadem Minor: Equæ perfectionem dicunt, conveniunt personis divinis propter essentiam, non verò propter relationes, quæ in nostra sententia, ratione sui, perfectionis non sunt, sed totam bonitatem & perfectionem quam habent, ab essentia in illis inclusa desumunt: Atque perfectitas independentia existendo, maxima perfectio est, ut patet ex dictis articulo præcedenti: Ergo non convenit personis divinis, ratione relationum, sed solum ratione essentia.

Tertiò probatur Minor principalis: Perfectitas independentia ab alio sustentante convenit relationibus divinis, ex eo quòd sine substantiis, & non accidentibus, sicut relationes create: Sed illæ habent ex identitate cum divina substantia seu essentia, ut patet: Ergo talis perfectitas illis convenit ratione essentia. Itaque personalitas Patris, v.g. est ratio subsistendi independentem, & ratio subsistendi incommunicabiliter: primum non habet ex vi linearum relativa, sed ratione essentia in illa inclusa, secundum verò ratione propria linearum, & idè multiplicatur subsistentia in secunda accceptione, ut sequenti conclusione videbimus, facta autem in prima, de qua solum in hac conclusione loquimur.

Dices, Ex hoc sequi, personalitatem Patris intra propriam lineam non obtinere completam personalitatis rationem: Consequens videtur falsum.

sum: Ergo &c. probatur sequela: De ratione A
complete personalitatis est quod sit ratio sub-
sistens, nec dum incommunicabiliter, sed etiam in-
dependenter: Tum quia de ratione persona: utra-
que perfectitas est, & consequenter utraque à com-
pleta personalitate debet provenire: Tum etiam,
quia personalitas creata habet ratione sui utram-
que perfectitatem præstare: Ergo si paternitas ratio-
ne suæ lineæ utramque non exhibet, non obtine-
bit intra propriam lineam completam personali-
tatis rationem. Ex quo ulterius sequitur, aliquid
ad personalitatem spectans, à divina natura pro-
venire, ac proinde illam esse semi-personam, ut
docetur Cajetanus.

Respondendo negando sequelam: ad cuius proba- B
tionem, nego Antecedens, quod non convincunt
duæ probationes adductæ. Non quidè prima: quia
licet utraque perfectitas sit de conceptu personæ,
cum tamen ad personam constituendam ingredian-
tur natura & personalitas, potest una à natura, &
altera à personalitate præstari. Nec etiam secunda:
quia quod personalitas creata utramque perfectita-
tem præstet ratione sui, provenit ex imperfectio-
ne naturæ creatæ, quæ ante personalitatem subsi-
stens non est, nec existens. Sicut nec valet ista
consequentia: Personalitas creata naturam pri-
mò subsistentem constituit: Ergo est de ratione
personalitatis ut sic primò subsistentem naturam
constituere: cum plures ex illis contra quos no-
stra conclusio procedit, absolutam subsistentiam
agnoscant in Deo, & consequenter teneantur fa-
teri, personalitatem divinam non esse primam ra-
tionem subsistendi divinæ naturæ.

§. II.

Statuitur secunda conclusio.

Deo secundò: Subsistentia pro perfectitate in-
communicabilitatis accepta, realiter multiplicatur
in personis divinis.

Probatur primò: Juxta Concilia & SS. Patres
dantur plures subsistentiæ in Divinis: Sed non plu-
rificantur, accepta subsistentiâ pro perfectitate inde-
pendentiæ à sustentante, ut præcedenti conclusio-
ne ostendimus. Ergo debent saltem multiplicari, si
subsistentia pro perfectitate incommunicabilitatis
accipitur. Major probatur ex sexta Synodo gene-
rali actione III. ubi dicitur, quod *Sancitissima Tri-*
nitas numerabilis facta est personabilibus subsistentiis:
Id ipsum habetur in Concilio Nicæno secundo, in
exemplari litterarum Theodori Patriarchæ Hie-
rosolymitani; & in Lateranensi secundo, appro-
bato à Martino I. consulo, 5. & multis aliis in locis.

Id etiam docent SS. Patres, Ambrosius in
Symb. Apostol. cap. 2. ubi ait: *Catholicam est,*
ut & nonn Deum secundum unitatem substantiæ
fasciamur; & Patrem, & Filium, & Spiritum
Sancitum, in sua quemque subsistentia sentiamus.
Cyrillus Alexandrinus dialogo de Trinit. lib. 3.
hæc verbis: *Omnis nostra fidei sermo huc tendit,*
ut unam videamus Deitatis naturam, quæ in tri-
bus subsistentiis propriè subsistit. Athanasius sermo
de Deipara dicens: *Vnum Deum in tribus subsi-*
stentiis predicamus, in quibus una sit substantia.
Denique Damascenus lib. I. fidei cap. 9. ait quod
Filius propriam habet subsistentiam, præter eam
quæ Patri est.

Respondet primò, apud Concilia & SS. Pa-
tres, quando pluraliter subsistentiæ dicuntur, ac-
cipi subsistentiam pro perfectitate.

Sed contra primò: Nam vel acceptio ista est

Tom. II.

propria, vel impropria locutio? Si primum, hab-
emus intentum, scilicet subsistentiam in aliqua sui
propria acceptioe plurificari in Divinis: si se-
cundum, sine urgenti necessitate Conciliorum &
Patrum verba ad imperfectum sensum detorque-
tur quod est inconveniens: Ergo &c.

Secundò: Si locis allegatis subsistentia pro
personalitate sumeretur, verba illa sexta Synodi:
Trinitas numerabilis facta est personabilibus subsi-
stentiis, redderent hunc sensum nugatorium: Tri-
nitas numerabilis est personabilibus personalita-
tibus: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud.

Tertiò: Personalitas in recto est subsistentia,
cum juxta D. Thomam quæst. præcedenti art. 2.
nihil aliud sit personalitas, quam subsistentia in
rationali natura: Ergo si juxta Concilia & SS. Pa-
tres, dentur in Deo plures personalitates, etiam
subsistentia multiplicabitur in personis divinis.

Respondetis secundò, Concilia & SS. Patres
locis allegatis sumere subsistentiam in concreto,
seu pro re subsistente: unde quando affirmant plu-
res esse in Deo subsistentias, idem est, ac si dice-
rent in Divinis esse plures res subsistentes; ad quod
necessarium non est, ut subsistentiæ multiplicen-
tur, sed sufficit quod sint plures personæ eadem
subsistentiâ gaudentes.

Sed hæc etiam responsio eadem facilitate reji-
citur quæ præcedens. Primò, quia Concilia &
SS. Patres loquuntur de subsistentiis ut de formis,
aut veluti formis, quibus Sanctissima Trinitas
constituitur, & numeratur, ut patet ex verbis sex-
tæ Synodi, jam relatis: sed hoc est loqui de sub-
sistentiis in abstracto, & non in concreto: Ergo
Concilia & SS. Patres non sumunt subsistentiam
in concreto, sed in abstracto.

Secundò: Dato & non concesso, quod Conci-
lia & Patres sumant terminum illum pro concre-
to, adhuc tamen sequitur dari tres subsistentias in
Divinis: nam ut docet D. Thomas infra quæst.
39. art. 3. ad multiplicationem concreti substanti-
vi necessarium est multiplicari formas: quocirca
non possunt in sensu catholico tres personæ dici
tres Dii, quia nomen, *Deus*, substantivum est, &
una est solum forma per illud nomen significata,
scilicet Deitas: Sed hoc nomen, *subsistens*, non
minùs substantivum est, quàm hoc nomen, *Deus*,
cum significet per modum substantiæ; & aliunde
forma per hoc nomen significata, est subsistentia:
Ergo si juxta Concilia & SS. Patres dentur in Di-
vinis plures res, aut personæ subsistentes; conse-
quenter etiam plures in personis divinis subsisten-
tiæ, seu subsistendi rationes, admittendæ sunt.

Dices: Licet hoc nomen, *subsistens*, sit concre-
tum substantivum, interdum tamen sumitur adje-
ctivè à Conciliis & SS. Patribus: sicut hæc nomina
omnipotens, æternus, sapiens, utramque acceptio-
nem admittunt.

Sed contra: Concilia & SS. Patres, ut supra di-
cebamus, loquuntur de hoc nomine, *subsistentia*,
tanquam de forma constituyente & distinguente
personas: Sed accipere formam pro concreto ad-
jectivo, est impropria locutio; unde nullus Theo-
logorum audebit asserere, tres dari in Deo omni-
potentias, etiam si catholicè concedatur tres omni-
potentes adjectivè: Ergo Concilia & SS. Patres,
locis allegatis, non sumunt hoc nomen, *subsisten-*
tia, vel *subsistens*, pro concreto adjectivo.

Præterea: Esto quod ly *subsistens*, ita usurpa-
retur, adhuc haberetur intentum. Nam concretū
adjectivum non potest plurificari, nisi plurificetur

E c

ratio habendi formam ab eo importatam: Sed ratio habendi formam importatam per concretum adiectivum, non est aliud quam subsistentia; illa enim est prima ratio sustentandi aut quasi sustentandi formam: Ergo quamvis daretur quod subsistentia sumatur à Patribus pro concreto adiectivo, oportet quòd ipsa subsistenti ratio pluralificetur.

47. Denique respondebis, subsistentiam divinam triplicem appellari à Concilijs & SS. Patribus, non ex eo quòd ratio formalis subsistenti in personis divinis multiplicetur, sed quia subsistentia absoluta, in personis divinis inclusa, diversimodè ab illis modificatur, & diversis incommunicabilitatis modis terminatur. Sicut conceduntur in Deo plures potentia notionales, generativa scilicet & spirativa, absque pluralitate rationis formalis producendi, quæ in utraque est absoluta, per hoc solum quòd ratio illa absoluta, diversis relationibus terminetur. Ita Vincentius Asturicensis in manuscriptis de origine gratiæ, & Nazarius infra quæst. 39. art. 4. contr. vers. 11.

48. Sed hæc responsio & doctrina fusè impugnabitur § sequenti. Interim tamen potest confutari: Primum quia si hæc responsio valeret, eodem modo dici posset, in personis divinis triplicem dari existentiam, imò & triplicem essentiam & naturam, quia non solum subsistentia, sed etiam divina existentia & natura, in personis divinis inclusa diversimodè ab illis modificatur, & diversis incommunicabilitatis modis terminatur: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

Secundò impugnatur prædicta responsio: Damascenus supra relatus ait, quòd Filius propriam habet subsistentiam, præter eam quæ Patris est: Sed hoc erit falsum, si ratio formalis subsistenti in personis divinis non multiplicetur; ex eo enim quòd subsistentia absoluta à paternitate & filiatione diversimodè modificetur, solum colligi potest, quòd Filius habet subsistentiam sibi propriam, non tamen sibi propriam, & diversam ab ea quæ Patris est: Ergo præfata responsio mentis Damasceni repugnat.

Tertiò, SS. Patres docent multiplicari in Divinis personalitates: Sed illæ non possunt multiplicari, nisi etiam subsistentia, seu ratio per se subsistenti incommunicabiliter, in personis divinis multiplicetur, ut infra ostendemus: Ergo non sufficit ad salvanda dicta Conciliorum & SS. Patrum, admittere unicam subsistentiam absolutam à relationibus divinis diversimodè modificatam & terminatam, ut magis patebit ex dicendis § sequenti.

§. III.

Conclusio ratione suadetur.

49. **R**atio fundamentalis nostræ conclusionis, sumitur ex illo communi Theologorum principio, quo asserunt, ea quæ relativa sunt, & quæ personis divinis ratione relationum conveniunt, realiter multiplicari in illis: At subsistentia, pro perfectitate incommunicabilitatis accepta, in Deo relativa est, & convenit personis divinis, ratione relationum, non verò ratione essentia, aut perfectionum absolutarum: Ergo realiter in illis multiplicatur. Major est certa, & patebit ex dicendis disputatione sequenti. Minor verò probatur: Subsistentia ut dicit modum subsistenti incommunicabiliter, est constitutiva personarum in Deo: Sed personæ divinæ constituuntur per aliquid relati-

vum, ut constabit ex dicendis infra, quando agemus de constitutivo divinarum personarum: Ergo subsistentia, ut dicit perfectitatem incommunicabilitatis, seu modum subsistenti incommunicabiliter, relativa est, & personis divinis incommunicabiliter relationum, non verò ratione essentia, aut perfectionum absolutarum.

Respondent Adversarij: Personas divinas non constitui per subsistentias relativas, virtualiter distinctas à subsistentia absoluta essentia, sed per ipsam subsistentiam absolutam, non quidem absolutam est, sed ut est modificata per relationes divinas. Cum enim (inquiunt) in ratione personarum duo tantum importentur, scilicet subsistentia & subsistentia absoluta essentia, quæ ratione oppositionis relative quæ gaudeat, sunt fundamenta distinctionis & incommunicabilitatis in personis divinis. Et ita superfluum videtur & otiosum, præter subsistentiam absolutam, tres relativas in personis divinis admittere: cum ipsa subsistentia absoluta, ut tribus relationibus modificata, possit præstare totum id, quòd ad rationem & constitutionem personæ divinæ requiritur.

Hæc responsio & doctrina continet præcipuum fundamentum adversæ sententia: quare non negligenter consideranda est, sed varijs rationibus Theologicis demonstrandum, præter subsistentiam absolutam & commanem, personis divinis convenientem, ratione essentia, tres adhuc subsistentias relativas ac proprias, & ratione relationum illis convenientes, necessariò esse admittendas.

Prima ratio jam insinuata est, & colligitur ex dictis supra disp. 3. art. 2. Ibi enim ostendimus, significatum formale & directum huius nominis, *persona divina*, esse subsistens incommunicabiliter: unde ut personæ divinæ multiplicentur, utrumque debet necessariò multiplicari realiter, subsistentia scilicet, & incommunicabilitas; & ita ad constituendas & multiplicandas personas divinas: non sufficit unica subsistentia, per relationes modificata, ut contendunt Adversarij, sed ipsa relationes divinæ debent secum deferre suas subsistentias relativas & sibi proprias, à subsistentia communi & absoluta essentia in illis inclusa, virtualiter distinctas.

Confirmatur primò: Nam (ut ibidem monstravimus) significatum formale huius nominis, *persona divina*, non est relatio secundum munus referendi, sed secundum munus subsistenti incommunicabiliter: Ergo ut ratio personæ in Deo multiplicetur, debet non solum multiplicari relatio secundum rationem ad, & quatenus est respectus ad terminum, sed etiam secundum rationem in, & prout habet rationem subsistentia, & formæ hypostaticæ; & consequenter non solum in Deo admitti debent tres relationes modificantes subsistentiam absolutam, sed etiam tres subsistentia relative, & personales, divinas personas in ratione hypostaticæ & personæ constituentes. Unde Divus Thomas infra quæst. 40. art. 3. hæc scribit: *Non enim proprietates personales præintelliguntur advenire hypostasis divinis, sicut forma subiecto præintelligenti, sed feruntur secum sua supposita, in quantum sunt ipse Persona subsistentes.* Et ibidem in resp. ad 2. ait: *Paternitate Patris non solum est Pater, sed etiam Persona, et quis, sive hypostasis.*

Confirmatur amplius: Non potest in Deo multiplicari persona, nisi etiam multiplicetur personitas: Sed personalitas non potest multiplicari, nisi

etiam multiplicetur substantia: Ergo non potest multiplicari persona in Divinis, nisi substantia multiplicetur. Major patet: nam personalitas est constitutiva personæ, sicut humanitas hominis: quare sicut non possunt dari plures homines, nisi dantur plures humanitates, ita nec potest multiplicari persona, nisi personalitas multiplicetur. Unde S. Thomas infra quæst. 39. art. 3. ad 4. *Forma significata per hoc nomen, persona, non est essentia, vel natura: sed personalitas: unde cum sit tres personalitates, non singulariter, sed pluraliter prædicatur de tribus.* Minor verò sic ostenditur. Multiplicato inferiori debet etiam multiplicari superior, quod est commune communitate rationis, sicut multiplicatis hominibus aut equis, debet multiplicari ratio animalis: Sed substantia est quid superius ad personalitatem, quæ supra substantiam addit quod sit incommunicabilis, & nature intellectualis, ut docet D. Thomas quæst. præcedenti art. 2. Ergo multiplicata personalitate necessario debet multiplicari substantia.

Secunda ratio. Multiplicato principio quod actionis notionalis, debet multiplicari ratio substantiæ, & non tantum modus incommunicabilitatis: Sed in personis divinis, multiplicatur principium quod actionis notionalis: Ergo non solum incommunicabilitas, sed etiam substantia debet in illis multiplicari. Minor est certa: nam aliud est principium quod generationis, & aliud principium quod spirationis. Major autem probatur ex illo communi Philosophorum axioma quod asserunt actiones esse substantium: unde sicut ex hoc intelligitur, in Deo, secundum se considerato, admittendam esse substantiam aliquam absolutam, ratione cuius sit principium quod creationis, conservationis, & aliarum operationum ad extra, quæ indivise sunt, & toti Trinitati communes; ita ex eodem principio sequitur in Patre v. g. præter incommunicabilitatem, admittendam esse aliquam substantiam relativam, per quam constituatur in ratione principij quod actionis notionalis, scilicet generationis; & aliam in Filio, per quam unam cum Patre constituatur principium quod spirationis activæ.

Hoc argumentum probat solum in Patre & Filio admittendas esse substantias relativæ & personales: verum tamen facile potest ad Spiritum Sanctum extendi. Nam sicut principium quod, ita & terminus qui actionis notionalis, debet esse subsistens incommunicabiliter; sicut enim actiones, ita & passiones, aut quasi passiones, sunt substantium: Sed Spiritus Sanctus est terminus qui actionis notionalis, scilicet spirationis activæ, per quam producit: Ergo non minus gaudere debet substantiâ relativâ & incommunicabili, quam Pater & Filius.

Tertia ratio. Incommunicabilitas quam dicunt personæ divinæ, non est pura negatio, sed fundatur in aliquo positivo: At illud non potest esse aliud, quam substantia: Ergo in personis divinis, præter tres incommunicabiles, tres substantiæ admittendæ sunt. Major patet ex dictis disp. præcedenti art. 2. Minor verò probatur: quia si illud positivum non esset substantia, se haberet per modum formæ adjacentis; & cum sit constitutum personæ in esse personali, persona divina, ex sua formalissima ratione, se haberet per modum formæ adjacentis rei existentis; quod est absurdum, & accedit ad errorem Gilberti Porretani, qui divinas personas essentia divinæ assistentes, illique veluti adjacentes esse fingebat.

Tom. II.

Secundò probatur eadem Minor. Si positivum illud, in quo divinarum personarum incommunicabilitas fundatur, ex propria ratione non esset subsistens, sequeretur quod essentia divina, præintellecta huiusmodi positivo, esset suppositum & persona; atque ita, aut una tantum, aut quatuor essent personæ in Deo: Sed hoc dici nequit, ut patet: Ergo &c. Sequela probatur: Suppositum, seu persona, est substantia incommunicabilis alteri ut supposito: Sed essentia divina, ut præintellecta huiusmodi positivo, esset incommunicabilis alteri ut supposito: Ergo esset suppositum & persona. Probatur Minor: quia non esset communicabilis nisi illi positivo, quod ex se non esset subsistens, sed potius per eam subsisteret; & se haberet ad illam ut forma ad subsistens: ex eo autem quod aliquid sit communicabile alteri ut formæ, ad sustentandam illam, non tollitur ab eo quod sit suppositum; ut patet in Verbo Divino, quod communicatur hoc modo humanitati ad illam sustentandam: Ergo &c.

Ultima ratio. Si Persona Verbi Divini v. g. non haberet aliam substantiam, quam absolutam unio humanitatis ad Verbum, fuisset facta immediate in aliquo absoluto, & communi tribus personis; ac proinde omnes tres personæ essent incarnatæ. Sequela probatur: Unio humanitatis immediate facta est ad substantiam; quia unita est Verbo ab subsistendū in illo, & subsistere est effectus formalis substantiæ: Ergo si in Verbo non sit nisi substantia absoluta, unio humanitatis immediate facta est ad aliquid commune & absolutum.

§. IV.

Duo corollaria præcedentis doctrinæ.

EX dictis colligitur triplex discriminem, quod inter substantiam & existentiam reperitur; triplexque ratio, cur substantia debeat in personis divinis multiplicari, non verò existentia. Nam in primis existentia non habet quod sit formale constitutum personæ, sicut substantia. Secundò, nomine personæ divinæ formaliter & directè significatur subsistens, non verò existens. Tertiò existentia dicitur tantum uno modo, substantia verò dupliciter.

Colligitur etiam major confirmatio doctrinæ à nobis traditæ supra disp. 3. art. 5. cur scilicet relationes divinæ non addant perfectionem ad essentiam, etsi gaudeant propriis substantiis: quia scilicet ratio substantiæ, quam addunt, non consistit in perfectitate independentiæ, quæ perfectio est sed in perfectitate incommunicabilitatis, quæ ordinem ad existentiam non exprimit, nec perfectionem dicit; in hoc enim quod est alteri non esse communicabile, nulla relucet perfectio.

§. V.

Solvuntur objectiones.

PRæcipuum Adversariorum fundamentum sumitur ex autoritate D. Thomæ, qui videtur favere illorum sententiæ: docet enim quæst. 8. de potentia art. 3. ad 7. 8. & 9. quod *relatio in Divinis distinguit in quantum est relatio, constituit autem hypostasim, in quantum est divina essentia.* Et quæst. 9. art. 5. ad 13. *In rebus (inquit) creatis principia individuantia duo habent, quorum unum est quod sint principia subsistendi, natura enim communis de se non subsistit nisi in singularibus* Ec ij

Unde est quod per principia individuantia supposita natura communis ad invicem distinguantur. In Divinis autem proprietates personales hoc solum habent, quod supposita divina nature ad invicem distinguant, non autem sunt principium subsistentia nature divine: ipsa enim natura divina est secundum se subsistens: sed est contra proprietates personales habent quod subsistant ab essentia. Ex quibus verbis hoc argumentum conficitur. Si relationes divine deferrent secum proprias subsistentias, illa essent rationes subsistenti divine essentia: At qui relationes non sunt rationes subsistenti divine nature, sed potius habent a natura divina quod subsistant, ut asserit D. Thomas, locis relatis: Ergo secundum principia doctrinae D. Thomae, relationes divine non deferunt secum proprias subsistentias relativas; sed habent quod subsistant a subsistentia absoluta essentia, quae in illis includitur.

61 Respondent plures ex nostris Thomistis, quod quando S. Thomas asserit, quod relationes divine non habent quod subsistant, nisi in quantum sunt divina essentia: *ly in quantum*, denotat solum radicem, non vero rationem formalem subsistenti; & significat, quod licet relationes divine, ex vi suae linear & rationis formalis, habeant quod subsistant, & personas divinas constituent: quod tamen hoc munus praestent, provenit tanquam a principio radicali a divina essentia quam includunt.

62 Haec tamen responsio non videtur menti S. Doctoris conformis. Primum, quia D. Thomas in responsione illa ad 13. constituit hoc discrimen inter omnem naturam creatam, & divinam, quod divina a se subsistit, & proprietates ab illa; creata autem non ita, sed proprietates dant illi subsistere; & ab aliis distingui. At *ly in quantum*, denotante naturam pro radice, & non pro ratione formali subsistenti in proprietatibus, non salvatur hoc discrimen; nam etiam in natura angelica, proprietates individuantes habent radicaliter a natura quod subsistant: Ergo *ly in quantum*, non radicem, sed rationem formalem subsistenti designat.

Secundo, D. Thomas ibidem asserit, quod proprietates personales non dant divinae essentiae quod subsistant: Sed hoc erit falsum, si particula *in quantum*, solum radicem, non vero rationem formalem subsistenti excludat: Ergo idem quod prius. Minor patet in exemplo adducto: Nam licet in natura angelica proprietates individuantes habeant radicaliter a natura quod subsistant, quia tamen rationem formalem subsistenti secum deferunt, dant illi quod subsistant formaliter: Ergo patet, si proprietates personales in Deo propriam subsistentiam secum deferant, dabunt essentiae divinae quod subsistant, quamvis rationem illam subsistenti, at illa ut a principio radicali habeant.

Tertio ibidem S. Doctor ait, relationes ratione sui distinguere supposita: quod tamen illa subsistentia constituent, habere in quantum sunt divina essentia: At *ly in quantum*, denotante radicem, non subsistit hoc discrimen, nam etiam radicaliter habent ab essentia quod supposita distinguant, sicut & totum esse ab essentia radicaliter habent: Ergo non radicem, sed rationem formalem denotat particula *in quantum*. Haec Ergo responsione praetermissa.

63 Melius responderetur, quod quando S. Thomas

A dicit relationes divinas habere quod subsistant a essentia, non loquitur de subsistentia ut dicitur perfectam incommunicabilitatis, de qua in praecedenti agimus, sed de subsistentia pro perfectam independentiae sumpta: cum enim subsistentia sub hac acceptione sit maxima perfectio, provenit non solum radicaliter, sed etiam formaliter a divina essentia, non vero a relationibus, quae ratione sui perfectionem non dicunt. Unde haec testimonia D. Thomae primam conclusionem suam praestatam confirmant; secundam tamen nequam praedjudicant.

Neque huic interpretationi & solutioni obstat quod D. Thomas ibidem ait, nempe quod ratio constituit hypostasim, in quantum est divina essentia: quod non videtur posse verificari de subsistentia, ut dicit perfectam independentiam: haec enim hypostasim non constituit, sed solum de subsistentia prout dicit perfectam incommunicabilitatis. Hoc, inquam, non obstat, quia D. Thomas ibi non loquitur de constitutione hypostasim in ratione personae, sed in ratione subsistenti, subsistentia absoluta, de qua loquitur, ut satis aperte colligitur ex responsione illa ad 13. ubi post verba allegata, ita subdit: *Relatio enim in quantum est relatio, non habet quod subsistant vel subsistere faciat; hoc enim solum subsistentiae est.* Quibus ultimis verbis aperte declarat, se loquere de subsistentia quae convenit relationi divinae, quatenus est substantialis, & non accidentalis, sicut relationes creatae: Sed haec est subsistentia, ut dicit perfectam independentiam, ab alio subsistente, ut patet: Ergo de illa loquitur.

Ex his patet solutio ad argumentum ex parallelis testimoniis deductum. Respondetur enim distinguendo Majorem: Si relationes divine deferrent secum proprias subsistentias, illa essent rationes subsistenti divine essentiae, in priora acceptione subsistentiae, prout scilicet dicit perfectam independentiam, nego Majorem: in posteriori acceptione, & prout importat perfectam incommunicabilitatis, concedo Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Licet enim relationes divine perfectam independentiam non tribuant essentiae divinae, sed potius ab illa accipiant, illi tamen dant perfectam incommunicabilitatis alteri ut supposito.

Dices: Si paternitas verbi gratia hanc perfectam incommunicabilitatis essentiae divinae tribueret, redderet naturam divinam alii personae incommunicabilem; & sic destrueretur Mysterium Trinitatis, quod consistit in hoc quod eadem numero natura, tribus suppositis realiter distinctis communicetur.

Sed nego sequelam: hoc enim peculiare est naturae divinae, quod suam infinitam perfectionem & fecunditatem, quod in tribus suppositis subsistat, atque adeo quod verbi gratia quae per quamlibet personalitatem & subsistentiam terminetur. Unde paternitas habet quidem quod reddat naturam divinam alteri Patri incommunicabilem, non tamen Filio, vel Spiritui sancto.

Vel etiam responderi potest ex doctrinae Thomae quaest. 2. de potentia 1. in corpore quod quilibet relatio divina reddat naturam divinam incommunicabilem, non absolute, & quoad rem habitam, sed secundum quid, & quoad modum habendi. Diverso enim modo natura divina est in Patre & Filio, nec potest esse in Filio, eo modo quo in Patre. In Patre enim est ut a se habita, & principium generandi: in Filio ut ab alio, nec est.

generandi principium; & in Spiritu Sancto ut à Patre & Filio communicata, neque ibi est principium alterius processionis. Unde qualibet substantia relativa constituit naturam divinam incommunicabilem alteri personæ, non absolute, sed sub peculiari & proprio modo, quo qualibet persona divina illam habet.

Obijciens secundo: Ratio substantiæ est ali- quid absolutum: Ergo nulla datur in Divinis sub- stantiis relativa. Consequentia patet, Antecedens probatur ex Augustino supra relato, dicente: *Omnia res ad seipsum subsistit, quanto magis Deus: Sed illud quod est ad se & non ad aliud, absolu- tum est: Ergo ratio subsistendi est aliquid ab- solutum.*

Respondeo negando Majorem: sicut enim in rebus creatis inesse accidentis nec absolutum nec respectivum est, sed abstrahens ab utroque, eò quod aliquid accidens inhereat absolute, ut quantitas & qualitas; aliud verò inhereat referendo ad terminum, sicut ratio: ita similiter in Deo ratio substantiæ ut sic nec absoluta nec respectiva est, sed abstrahit ab utroque, est enim absoluta in Deo secundum se considerato, & ut respectu effecto divinis relationibus; relativa verò personis divinis, ut tribuit illis rationem subsi- stendi incommunicabilem.

Ad Augustinum verò, dicendum est ipsum ibi loqui de substantia, ut dicit perfectatam inde- pendentiam ab alio sustentantem, quæ absoluta est, & dicitur ad se, non verò ad aliud; unde conveni- tur personis divinis, ratione essentiali, non verò ratione relationum. Vel etiam dici potest cum D. Thoma, quæst. precedenti art. 4. ad 1. & in 1. dist. 2. quæst. unica art. 3. ad 1. & ad Annibaldum ibidem art. 2. ad 1. & de potentia quæst. 9. art. 4. ubi, divinam personam dici subsistere ad se per substantiam relativam, quia divina personæ aut nobis concepta (per analogiam scilicet ad crea- turas) non significat relationem secundum mun- dum referendi ad terminum, sed ut subsistentem incommunicabiliter, sub qua ratione non exprimi- tur respectum ad terminum; & quamvis re ipsa illi importet ex parte rei significatam, non tamen ex parte modi concipiendi & significandi.

Obijciens tertio: quia existentia est ultimus ter- minus, non potest altera existentia actuari, nec præter absolutam relativam in Deo conceditur, ut in his disputationibus ostendimus: At substantia etiam est terminus ultimus in linea subsistendi: Ergo per aliam terminari non potest, nec præter absolutam concedi relativam.

Respondeo primo, distinguendo Minorem: substantia personalis est ultimus terminus, con- trario Minorem. Non personalis, nego Minorem. Substantia enim absoluta & essentialis, sicut non est incommunicabilis, ita nec habet ratio- nem ultimi termini, sed tantum termini consti- tuentis naturam ut quod, & nostro modo intelli- gendi reddentis illam ultimo capacem existentiam.

Respondeo secundo, distinguendo rursus ean- dem Minorem. Substantia est ultimus termi- nus, in linea independentiæ, vel incommunica- bilis, concedo Minorem: in utraque linea, nego Minorem. Similiter distinguo Consequens: non potest terminari per aliam ejusdem rationis, concedo: diverse rationis, nego. Itaque substi- tentia, quæ est ratio perfectatæ independentiæ, terminari non potest per aliam quæ sit ratio inde- pendentem bene tamen per aliam quæ sit ratio in-

communicabilitatis. Et è contra substantia in- communicabilis non potest per aliam actuari, quæ sit ratio incommunicabilitatis; bene tamen per aliam, quæ sit ratio independentiæ.

Quarunt hic aliqui, an ratio personæ ut sic de tribus personis divinis univoce vel analogicè præ- dicetur?

Breviter respondeo (hæc enim difficultas nul- lius ferè momenti est, magisque pertinet ad Lo- gicam, quam ad Theologiam) probabiliter esse, & principiis supra statutis conformius, illam non prædicari univoce, sed tantum analogicè, non ana- logicè attributionis, sed proportionalitatis; co- que ferè modo, quo ratio entis ut sic de Petro & Paulo prædicatur.

Ratio fundamentalis hujus responsionis est: quia ratio univoca, cum debeat esse perfectè una, nec ullam in suo conceptu importare diversita- tem, debet esse perfectè præcisè à differentiis in- feriorum unde cum non possit dari perfectè præ- cisè ex parte unius extremi, nisi detur etiam ex parte alterius, ut loco citato ostendimus; si in Deo daretur aliqua ratio univoca, deberet etiam dari perfectè præcisè conceptum, seu distinctio- nis per modum excludentis & exclusi, & consequenter aliqua compositio rationis, tanta quanta est compositio ex genere & differentia, quod divinæ simplicitati repugnat: Ergo ratio personæ divinæ non est univoca, sed analogæ respectu trium personarum; & cum non possit esse analogæ, analogiæ attributionis, eò quod ratio personæ intrinsecè & essentialiter in qualibet ex tribus personis divinis reperitur, restat ut sit ana- logæ respectu illarum analogiæ proportionalita- tis; eò ferè modo quo docent Philosophi ens esse analogum ad duo individua ejusdem speciei.

Neque obstat quòd D. Thomas in 1. dist. 25. quæst. 1. art. 3. impugnet sententiam aliquorum, qui dicebant personam divinam analogicè prædi- cari de tribus personis; & postea concludat eam esse communem, sicut ratio animalis est commu- nis homini & asino; quod etiam repetit in 1. ad Annibaldum, eadem distinctione, quæstione, & articulo. Non, inquam, hoc obstat, quia S. Do- ctor ibi solum intendit docere, personarum ut sic non esse analogicè communem tribus personis, secundum communitatem intentionis aut pro- portionis, seu puri respectus rationis (ut doce- bant illi quorum sententiam impugnat) sed sec- undum communitatem rationis fundatam in re: ad quam explicandam affert exemplum anima- lis respectu hominis & asini; non quòd velit esse paritatem in modo communitatis, ita ut utraque sit univoca, sed solum in ipsa communitate, ita ut utraque sit essentialis & quidditativa, & ratio- nis cum fundamento in re. Et quòd hæc inter- pretatio sit legitima, aperte colligitur ex eo quòd ibidem docet, quòd licet ratio personæ sit com- munis, non est tamen sicut universale. Et hic art. 4. ait non esse aliquid commune, sicut genus vel speciem: si autem univoce de personis divinis prædicaretur, deberet illis esse communis per modum universalis, imò tanquam genus, vel species: omnis enim ratio univoca & quidditativa, debet esse, vel generica, vel specifica, vel differentialis: Sed ratio personæ ut sic non est differentialis, ut patet: Ergo si univoce de tribus personis prædicetur, debet tanquam genus aut species de illis prædicari.